

*Nihil magis sibi hærere animo, de nulla re magis, quam de pace in tota christiana republica, ac præsertim in Italia tuerenda, solicitorum esse: hæc dies noctesque meditari; proque ea retinenda nullum officii genus intentatum relicturum, in summo existimationis loco Senatus consilia semper habiturum, eamdem cum Republica se fortunam subiturum. Verum eo loco res erant, ut nullis humanis rationibus tot nubium ac tempestatum turbines discuti posse viderentur; quove tot ingentium rerum orsus erumperent, Europa omnis circumspetabat.*

Interim Alphonsus Queva, Philippi apud Venetos legatus, Fuentani nomine sex Germanorum millium per fines Reipublicæ transitum a Senatu petit: id & semper permisum, ac postremis hisce temporibus, anno nempe M. DC. I. ultro concessum fuisse; licet enim alii non deessent aditus, quibus in Insubres ductari copiæ possint; attamen vel itinerum compendio ac facilitate, vel Reipublicæ in Regem benevolentia permotum, id a Senatu flagitare Fuentanum voluisse. Sciam-pignius, Henrici orator, de Hispanorum petitione certior factus, nulla interjecta mora, Patres adit: ne transitum per Venetas ditiones Germanis permittant, enixe postulat; copias in Burgundiam adversus Gallorum Regem, Reipublicæ amicum ab Hispanis mitti. Ea de re dissentientibus sententiis in Senatu actum. Collegii Patres fere omnes ita Quevæ respondendum censebant: *Rempublicam, quæ semper æque cum Regibus amicitiam coluisse, in eadem adhuc sententia permanere: quæ inter eos dissidia erant, iis sese immiscere nolle: multos aditus esse, quibus e Germania, ut ipse Queva ajebat, in Insubres descenderetur; per eos aditus copias duci Fuentanus juberet, neque amicam Rempublicam impli-caret: reliquis Germanorum, si quæ supererent, quominus impedianter opportune Senatum jussurum.*

Nicolaus Donatus, Joannis filius, adversus Senatus consultum ita dicere occipit.

*Non sum nescius, Patres optimi, de gravissima re agi, quæ sane, in quamvis partem vestra proclinent suffragia, maxima secum rerum momenta attractura sit. Quo magis, ne quid propere fiat, ne sensim in bellum incidamus, sum-*

*Alphonsus  
Queva, ora-  
tor, transi-  
tus Germa-  
nitis militi-  
bus a  
Venetis po-  
stulat.*

*Sciampi-  
gnius ora-  
tor, ne tran-  
situs Germa-  
nitis, permit-  
tatur, a Se-  
natu petit.*

*Nicolaus  
Donati  
oratio.*

*mope-*